



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

Sacramenta quid sint. tit. 58

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

fecerit, nihil proderit fides externa & litera aut passio Christi, nec capax erit Christi beneficij, qui huiusmodi medijs caruerit.

SACRAMENTA QUID SINT.

TITVLVS LVIII.

SACRAMENTA sunt notanda. Primò, quid sint Sacramenta: Secundò, cur à Christo instituta: Tertiò, qui sunt fructus vtentium illis.

Primò, Sacramenta sunt sancta & certa signa fidei, nos reconciliatos esse cum Deo, & in gratiam eius restitutos esse, sicut circumcisio Abrahæ fuit signum & pactum gratiæ cum Deo, Gen. 12. Rom. 4. id est, quòd Deus recepit eum in gratiam & fauorem suum. Sic Baptismus est signum remissionis: confirmatio, signum est noui & firmioris consensus in fide Christi: Eucharistia, coniunctionis cum Christo: pœnitentiæ, reconciliationis &c. sicut magnus princeps dat inimico manum in signum amicitie & gratiæ &c. vnde inimicus iam scit se esse in gratia principis &c. Sic Sacramenta sunt signa reconciliationis, i. gratiæ.

Secundò, sunt à Deo instituta, quòd per illa tantquam media, vult distribuere promissam gratiã Christi credenti & pœnitenti. Non instituit vt elementa externa Sacramentorum de se iustificent, sed vt ipse per Elementa Spiritualem gratiam infundat animæ. sic aqua Baptismi non tollit peccatum, sed Christus, qui baptizat, Ioan. 1. Et fides pœnitentis apprehendit remissionem per hoc medium Sacramenti. Secundò instituit Sacramenta, vt homo per vsum illorum certus esset, se accepisse gratiam in Sacramentis promissam per Christum. Deus enim multa dona & gratias promisit se daturum propter fidem in Christum. Primò, remissionem peccatorum, Acto. 10. Secundò, Spiritum sanctum in robur: Rom. 8. Ipse Spiritus assistit Spiritui nostro in pugna fidei, Tertiò, Consolari per ver-

per verbum suū, Ioan. 16. Confidite, quoniam ego vi-
ci mundū. Quartò, in nobis esse & manere, sicut ca-
put in membris, & membra à capite pendent, Ioan. 6.
Quintò, Iterum velle nobis recōciliari post lapsum,
per pœnitentiā, non septies, Mat. 18. Et in signum reli-
quit claves Ecclesie. Sexto, Non velle imputare defe-
ctus carnis propter matrimonium in fide contractū,
Hebræ. 13. Honorabile connubium. Septimò, Velle
condonare, nedum peccata Spiritualia animę, sed et-
iam corporalia in omnibus membris contracta, Iac.
5. Hęc varia dona promisit D E V S credenti propter
Christum, & per Sacramēta certifiat, iam per fidem
hęc accepisse &c. credentem.

Tertiò, Fructus igitur Sacramentorum sunt: Ba-
ptismo accipimus remissionem, Tit. 3. Act. 2. Confir-
matione, conseruationem fidei per impositionē ma-
nuum, Act. 21. Consolationem per verbum Dei, quo
anima excitatur & viuificatur. Psal. 118. Viuifica me
secundum verbum, vnionem & nouam incorpora-
tionem per Eucharistiam, si redierimus post lapsum,
Ioan. 6. Qui manducat me, manet in me, &c. Recon-
ciliationem & condonationem admissorum pecca-
torum post baptismum, sicut filio prodigo, Lucæ 15.
contigit redeunti ad patrem: sic claves absoluunt,
Ioan. 20. Nolle imputare defectus matrimonij pro-
pter Sacramentum in Christo susceptum, 1. Corin. 7.
Qui nubit in Domino, non peccat. Septimò, plenam
absolutionem in vnctione, Iaco. 5. Hi sunt fructus &
dona quę in Sacramentis propter Christum creden-
ti distribuuntur Sacramenta etiam discernunt fide-
les Catholicos à cæteris gentibus, Iudæis, Hæreticis,
qui illa non habent aut contemnant.

SACRAMENTA AN ME-
reantur salutem eternam.

TITVLVS LIX.

Primò,